

Usus militia viguit quę nota sub armis.  
 Dissipat assultus macta virtute repressos,  
 Omnes disiectos ab equis sine sanguine stravit,  
 Dicens 'omne quidem spoliū, de podice nullum,  
 Fratres his<sup>1</sup> tolerant qui fratrum nuntia portant,  
 Tales exuvias avido vetuere latroni'.  
 Collectis spoliis et equis ad sacra meavit  
 Psallentum sub laude dei collegia fratrum  
 Tantam militiam mirantum et fortia facta  
 Vergentis vetulique hominis, nova bella moventis.

(46b) De malis Francigenis.

Unde solent tempestatum ebullire procelle?  
 Solis ab occasu orta heresis quam pessima nuper,  
 De quibus audistis satis et meminisse potestis.  
 Gens inimica deo nullius commoda honoris,  
 Jurat per frameam atque crucem, per viscera Christi  
 Perque animam, mirandum<sup>2</sup> quod non fulminat omnes,  
 Quod non sorbet eos jam vivos terra dehiscens.  
 Hinc prodeunt homines omni feritate bilingues  
 Corrupto cerebro, furibundę cedis anhelis<sup>3</sup>  
 Quos malus error et exagitat manifesta frenesis.  
 Vita<sup>4</sup> ne verbis sis credulus hospitis hujus.  
 Janua limen habet, custos et pessulus obstat,  
 Ne noctu tales suspecti irrumpere possint  
 Et pereas aut tu vel carus natus et uxor.  
 Interior qui<sup>5</sup> scis quid eis persuaserit hostis?  
 Non feriare manus puto quo non lingua domatur,  
 Presumptus vigor ebrietas et crebra negabit  
 Ausus illicitos et inexpertum scelus ullum?  
 Qui vult credat eis, non ausim credere quicquam.

(59b) De puella a lupellis servata.

Quod refero mecum pagenses dicere norunt,  
 Et non tam mirum quam valde est credere verum:  
 Quidam suscepit sacro de fonte puellam,  
 Cui dedit et tunicam rubicundo<sup>6</sup> vellere textam.  
 Quinquagesima sancta fuit babtismatis hujus.  
 Sole sub exorto quinquennis facta puella  
 Progreditur vagabunda sui inmemor atque pericli.  
 Quam lupo invadens silvestria lustra petivit  
 Et catulis predam tulit atque reliquit edendam.  
 Qui simul aggressi, cum jam lacerare nequirent,

1) his, s. hostibus.

2) Hs. mirandam; am Rande steht: s. miror.

3) Hs. haneli.

4) vita, verbum est.

5) quiquomodo.

6) rubricōdo Hs.